

cum ligno Ragusinorum et mouerit se de Venetiis uel de Marchia siue de aliquibus locis et iuerit ad aliquas terras, pro quibus soluitur ius doane, patronus uel suppositus illius ligni in isto casu sit doanarius comitis et teneatur accipere dicto Catarino ius doane Rag. uel retinere tale pignus dicti Catarini, quod bene ualeat dictam doanam et infra tertium diem postquam ipse Ragusinus applicuerit Ragusium teneatur dictam doanam uel pignus assignare doanariis comitis Ragusij. Et qui contra fecerit, soluat duplam doanam et pro banno ypperper. vnum qualibet uice.

XLII. Item nos Johannes Georgio comes Ragusij cum uoluntate minoris consilij et rogatorum uolentes, quod introitus doane melius procurerentur et omnis suspicio tollatur, exinde statuimus quod eligantur quatuor doanarij et unus scribanus ad sex menses, de quibus doanariis duo teneantur sacramentum cum dicto scribano cotidie ire in doanam in hora, qua pulsatur campana magistrorum et sedere intus in doana usque ad horam prandij. Et post prandium incontinenti redeant ad doanam et stent intus in doana usque ad sero in hora, qua dicta campana pulsatur, et sic faciant omni die ita, quod semper inueniantur duo doanarij in doana cum dicto scribano, qui recipiant doanam. Et scribantur ordinate in uno libro per dictum scribanum quolibet die omnis introitus doane singulariter et distincte, uidelicet quantitas denariorum et a quo et pro quibus mercationibus nominatim ab uno grosso supra. Si autem aliquis dabit doane follar. ab uno grosso infra dicti follari, ponantur in uno loco per se et in sero quolibet die dicti follari et quantitas ipsorum scribantur in dicto libro. Et quilibet ex dictis duobus doanariis habeat a comuni pro suo salario quolibet die (quo) ibit et sedebit in doana, ut predictum est, denar. gross. unum et alij doanarij, qui non stabunt in doana nichil habeant a comuni illo die, quo non stabant in doana. Et quicumque non iuerit in doanam et non steterit cotidie, ut predictum est, tam doanarius quam scribanus restituat comiti salarium in duplum. Et nullus doanarius debeat recipere doanam nec bullare, nisi duo simul in doana cum scribano predicto, qui scribat omnia ut superius est distinctum. Et unus doanarius teneatur per Sacramentum manifestare alium et eciam scribanum et scribanus doanarios, si non iuerint et non steterint in doana quolibet die, ut predictum est. Et dicti doanarij teneantur quolibet mense facere rationes coram domino comite, et consiliariis, de paruo consilio faciunt Camararii comitis.

Scribanus autem debeat eligi in hunc modum, quod doanarij, quum fuerint electi per dictum comitem et suum consilium, inuenient tres scribanos et denuntiabunt eos domino comiti et suo consilio, et si domino comiti et dicto consilio uidebitur de dictis tribus scribanis eligere unum, ille, qui sic eligeretur, sit scribanus in doana. Et si domino comiti et suo consilio uidebitur, quod non sit aliquis ydoneus de dictis tribus per doanarios denunciatis et uoluerint alium eligere, possint hoc facere, sicut domino comiti et suo consilio utilius apparebit.

Item ordinamus, quod doanarij non possint alicui dimittere de recto doane aliquid, et si aliquis acceperit aliquid uel denar. siue follar. uel alias